

quo duo pariter acerbant dolorem, annorum immaturitas, & consiliorum senectus: amissimus Patrem patriæ, in quo via justitiæ & trames æquitatis basin suam fixit, quod Henrici VII. scitis fuisse elogium, quem Monachus pane Eucharistiæ toxicato Beneventi interemit: amissimus deniq; auream, imò unicam regni columnam, coronam capitis nostri, currum & aurigam Israelis, qui gloriæ DEi & saluti publicæ omnia conatum suorum vela pandebat.

Mentione mortis profectò cor mihi & cerebrum liquescere sentio auditores, & acerbissimum dolorem animo meo offerri. Vnde enim vox ista singultans & verba semesa! Vnde lacrimæ, quas ex his oculis ebullire cernitis! Mors Regis nostri, Auditores, mors Regis nostri & ingenium & vocem nobis intercludit. Utinam de vitæ nostræ demenso vitam illius redimere possemus? Et quid tamen faciamus! quandoquidem neq; constantia virum nimis lugere funera suorum suadeat, neq; pietas Christianum: mittamus querelas, aut certè mitigemus, oculos atq; animos ad vulneris hujus auctorem erigentes nempe DEum. DEus hoc non permisit solum, sed immisit: Quid ni ergo æquum censeamus, ut sibi homo non displicere sinat, quod DEo placuisse intelligit. Ad hoc sacramentum adacti sumus, inquit Seneca, ferre mortalia, nec perturbari his, quæ vitare potestatis nostræ non est: in regno nati sumus, DEo parere libertas est. Cum igitur DEo immortali vitæ nostræ terminum

A 3